



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

XLV. Berchtoldus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

us Ecclesie habenas accepit; nam ab Electione eius usque ad mortem sunt anni plures nempe XI. Caruit maioribus ordinibus, ut ait M. S. Codex. Vide Henricum Rebdorffensem in Annalibus anno M. CCC. XLV. & anno M. CCC. XLVIII.

XLV. Berchtoldus.

Ex Illustrissima Burgrauorum Norimbergensium familia. A XIII. ætatis anno usque ad XXX. sacro Teutonicorum Ordini adscriptus, Deo & Ecclesie militauit, *Commēdator Prouincialis in Prussia & Franconia floridus auo, corpore spectabilis, industria commendabilis*, ut ait M. S. Codex, qui XXXI. vel circiter ætatis suæ anno Clementis VI. studio, tiara Eystettensi redimitus est anno M. CCC. LI. Feria secunda Rogationum, quæ tunc in VIII. Kalend. Iunij incidebat, quam annis XIV. tenuit; mortuus anno M. CCC. LXV. sepultus in Monasterio Heilsbrunnensi; solenni maiorum suorum Burgrauorum ad sepulturam loco. Caruit maioribus Ordinibus, cum à Clemente Episcopus designatus est: sed concessione Pontificia Ordinibus statim initiatur; Subdiaconatu, die Ascensionis Domini, Diaconatu in Vigilia Pentecostes; sequenti Sabbato quatuor temporum, sacerdotio, post die in ipso SS. Trinitatis festo Episcopali characterē. Aliud præferre videtur editio Henrici Rebdorffensis; sed res ita se habet, ut dixi. Jura Ecclesie suæ gnauiter defendit & ab inuasoribus asseruit; pace ubique & apud Clerum, & apud populum plantata. De quo commemoratione dignum est, quod in M. S. Codice traditur his verbis: *Ipse etiam pater venerandus præ cunctis vicinis seu vicinarum seu fortè remotarum Ecclesiarum*
Episco-

Episcopus, in executione sui officij, videlicet in clericorum ordinatione, Chrismatis & aliorum Sacramentorum, Ecclesiarum & altarium consecratione, & omnium ac singulorum, quae ad executionem Pontificalis officij pertinere poterant, erat assiduus, sollicitus, attentus, & humillimus, ita ut hac pro viribus continuaret usque ad finem vitae.

Construxit ex imis fundamentis arcem in monte S. Willibaldi, iuxta & supra ciuitatem Eystettensem, aliisque multis qua oppidis, qua pagis, qua villis & praediis, necnon supellectili aurea & argentea Ecclesiam Eystettensem insigniter locupletauit; factus Caroli IV. Imp. Cancellarius, cum eodem Auenionem ad sedem Apostolicam abiit. Rediens Spirae in aegritudinem incidit, qua & consumptus est, omnibus Ecclesiae Sacramentis, quae moribundis administrantur, rite perceptis. Jgitur anno M. CCC. LXV. XVI. Kal. Octobr. hora diei quinta Deo spiritum reddidit. Huius Berchtoldi est sanctio illa, qua coercet eorum improbitatem, qui sacerdotum defunctorum bona liberè inuadebant ac diripiebant, conceditque singulis Clericis liberam testandi facultatem ea tamen conditione, ut quot annis per *Decurias* seu *Decanias* distributi certo in loco conueniant: remque diuinam faciant. Quod etiamnum fit, vocaturque vulgò talis conuentus *libertas*; quod sacerdotes liberè de suis rebus disponendi libertatem obtineant. Edita est haec constitutio anno Domini M. CCC. LXIV. postridie S. Martini.

Sub hoc Episcopo accidit, quod Henricus Rebdorffensis in Annalibus his verbis commemorat. Anno M. CCC. LIX. (ita habet Manuscriptus Codex. Freherus, Henrici editor, vno anno minus LVIII.) Domi-

293

nica

nica in medio Quadragesima, qua fuit II. Kalend. Aprilis fures de nocte intrauerunt Monasterium S. VValpurgis Eystetensis. Et cum Campanarius eiusdem tarde intraret ad deponendum se in lecto, irruunt fures in ipsum velata facie, volentes eum occidere, qui se defendendo fuit in Monasterio grauius vulneratus. Propter quod stillicidium de Reliquiis beata VValpurgis consuetum haecenus manare, cessauit per quatuor septimanas vel circa, & post octauas Pascha, appropinquante festo eiusdem Virginis, manauit ut ante.

Sub eodem Pontifice anno M. CCC. LXIII. in octaua Pentecostes facta est translatio S. Wunibaldi Confessoris in nouum chorum Ecclesiae Heidenheimensis.

Eodem anno, in solennitate SS. Apostolorum, Petri & Pauli horrida tempestas Eychstadium concussit, rupta derepentè imbribus grauida nube. Ex qua per vallem Buchthal, inquit Henricus Rebdorffensis, versus Septentrionem tanta inundatio aqua exstitit, ut partem ciuitatis destrueret, hominibus in praedicta valle habitantibus ingentia damna inferret, & de montibus grandia saxa denolueret.

Vigebant iis temporibus adhuc duella. Itaque die Abdon & Sennen Martyrum, commissum est duellum inter dictum Hopferstatt & Perenuelder. Sequenti anno simile duellum institutum est in iudicio prouinciali Burgrauij (Norimbergensis) & iuxta Norimbergam cum quodam dicto Marschaldo de Gredingen, ut ait Henricus Rebdorffensis in Annalibus. Vt autem ad alias orbis partes, ita & in hunc terrarum tractum penetrauit detestanda Monomachiae consuetudo: contra quam iam olim Agobardus Episcopus Lugdunensis elegans opusculum ad Ludouicum Pium Imp. scripsit, quibus feralibus

bus certaminibus, inquit, contingunt homicidia iniusta, & crudeles ac peruersi euentus iudiciorum, non sine amissione fidei, & charitatis ac pietatis, dum putant Deum illi adesse, qui potuerit fratrem suum superare, & in profundum miserationum deicere. Hic est pessimus error & ordo confusus, &c. Et tamen inueniuntur, qui stimulos addant. Pugna securus, quia illum, qui tua repetit aut contendit, absque dubio superabis; & diuinum eis promittunt adiutorium, qui tam contrarij existunt Euangelica pietatis. Hinc iam ad certamen audacter proceditur; ubi duo cominus veniunt parati, ut se inuicem varijs ictibus cadant, pro talibus rebus, quas multo minus amare debuerant, quam seipsos ad inuicem, nam eum, quem occidere aut superare cupit, iussus est ut diligat sicut seipsum; recusatis illas pro quibus contendit arbitrari, ut stercora, ut Christum lucrifaceret. Hæc & plura huius generis in hunc perditum morem Agobardus; qui tam altas radices egit, ut etiam Tridentina Synodus seriam medicinam adhibere debuerit. Quam vide session. 25. cap. 19.

XLVI. Rabno seu Rabanus.

Ex patre Dapifero de Wilburgstetten, ex matre de Pfalheim Dioceseos Augustanæ. Administrator, antea Episcopatus Eystettensis sub duobus Episcopis; postea itidem Administrator Episcopatus Ratisbonensis. Vir prudens, affabilis, prouidus & hospitalis; in armis strenuus, in consilio maturus, in amicorum auxilio virtuosus, in ulciscendo inimicorum iniurias animosus, animo industrius, & uniuerso clero pius & graciosus. His enim notis M. S. Codex Rabanum istum depingit. Imò plura adiiicit, fuisse enim ait, formam iustitiæ, exemplar pietatis, assertorem veritatis, defensorem fidei, ordinatorem clementem Cleri,

pasto-